

Dei? Quid deici de gradu filiorum Dei et celestis hereditatis? Sed pergamus. Audis secundo malorum omnium sentinam in reprobos congestam, cum dicitur: *Maledicti*. Quidquid calamitosum excogitare potes, hac voce comprehenditur et congeritur in damnatos: quamquam id non Deo, sed sibi adscribere debent; a peccatis enim originem trahit maledictio, non a Deo, sicut benedictio. Unde præcise vocantur maledicti non maledicti Patris. Audis tertio, poenam sensus eamque inter omnes acerbissimam, ignis videlicet et quidem æterni. Non mittuntur ad sæculi præteriti miserias et calamitates, non in carcerem vulgarem aut exilium, sed ad supplicium omnium acerbissimum, in carcerem inferni omnium teterrimum et obscurissimum, nec ad decem, centum, aut mille annos, sed quamdiu Deus erit Deus. Audis quarto, ignem illum non homini paratum, sed diabolo, (sicut fovea lupis, non hominibus capiendis paratur) neque ad devorandos homines, sed ad absterrendos potius accensum fuisse; siquidem ab eo fugere potuerunt etiam cum peccarunt, quod non potuerunt dæmones. Hoc est illud verbum asperum prædictum Ps. XC. et de quo Isaias cap. XXX. dixit: *Labia ejus repleta sunt indignatione, et lingua ejus quasi ignis devorans; Spiritus ejus velut torrens inundans usque ad medium colli ad perdendas gentes in nihilum*. Ad medium colli pertinet hic torrens, quia vitam impiis non eripiet, sed in pœnis conservabit; perdet eos in nihilum, quia in inferno clausi, nullibi invenientur. Hic est ille lapis, de quo Christus Matth. XXI. dixit: *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum*. Cecidere improbi dum viverent super lapidem istum, et in anima contracti fuerunt, quamvis non contriti, quia per poenitentiam reparari poterant. Cadet ibi lapis super illos et conteret eos, quia tunc nulla spes redintegrationis supererit, et quia omnibus omnino bonis, honore, fama, deliciis, opibus, vita, salute exuentur, quod plane est conterere. Quæ hic mens damnatis erit? Quæ lacrymæ? Qui singultus? Quæ execrationes et blasphemias? Ibi locum habebunt et audientur verba illa nefanda Job III. *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est: Conceptus est homo. Dies illa vertatur in tenebras, etc.* Maledicent Deo, angelis, parentibus, præpositis, præceptoribus, dæmonibus, seductoribus suis, creaturis denique omnibus. Hæc erit musica, hæ cantilenæ, hæ matutinæ, hæ caudes, hæ vesperæ, quas infelices illi canent sine fine.

III. Ab immutabilitate sua; siquidem hæc sententia nunquam retractabitur, nullaque de causa relaxabitur. Conceduntur in iudicii hu-

manis appellationes ad superiores iudices, e causarum revisiones, quia fortassis iudex ignorantia laboravit vel affectu. Sed nihil tale sperandum in ultimo illo iudicio, quia Iudex est omnium supremus, quique præterea nec ignorantia ulla decipi, nec affectu vinci potest. Immutabilis hujus sententiæ typum habemus Gen. XXVII. in benedictione Isaac, quam præripuit Jacob fratri suo. Multis enim precibus et lacrymis conatus est et Esau postea impetrare benedictionem. Irrugit clamore magno, et consternatus ait: *Benedic etiam et mihi pater mi*. Et rursus: *Numquid non reservasti et mihi benedictionem*. Denique: *Num unam tantum benedictionem habes, pater? Mihi quoque obsecro ut benedicas*. Sed frustra: *Vives in gladio, inquit pater, et fratri tuo servies*. Ita reprobos non audiet Christus amplius, nec mutabit decretum suum. *Irreversibilis est illa sententia, inquit S. Cyprianus, serm. de ascens. Christi, et immutabile iudicium, stabit damnationis hujus immobile constitutum*. Nullæ sufficient lacrymæ ad decretum hoc eluendum, vel ignem illum extinguendum. Si Deus diceret Judæ vel cuilibet damnato: *Singulis millenis annis pro tuis peccatis emittes unam tantum lacrymam, et quando hoc modo per tanta annorum intervalla tot lacrymas emiseris ut iis totam mundi capacitatem impleas, miserebor tui, teque ex inferni ignibus eripiam, gauderet sane Judas gaudio ineffabili, eo quod haberet salutis quamdam spem*. Sed quam longa hæc spes foret? Quam vasta annorum spatia in pœnis emetienda forent? Quot millena annorum millia ei expectanda, antequam lacrymis suis vel scyphum unum impleret? Quot milliones annorum ut amphoram? Quot cubi millionum ut dolium? Quando ergo cubiculum? Quando domum? Quando urbem? Quando unam provinciam? Quando terram? Quando aerem? Quando cælum lacrymis suis completeret? At jam infelix Judas ne quidem hanc spem habet, sed etiamsi hac ratione totum mundum lacrymis implevisset, necdum finis, necdum medium, necdum principium esset ejus miseræ æternitatis, quia novus ei mundus lacrymis implendus pararetur a Deo, et post hunc tertius, quartus, quintus et deinceps sine numero. Idem dicendum ex adverso de gloria electorum.

IV. Ab efficacia: siquidem id, quod enuntiat, mox etiam efficit, nec indiget aliis justitiæ ministris. Hominum decreta non efficiunt per se, quod decernunt, per alios executioni mandari debent, quæ sæpe impeditur; ut cum reus vi eripitur, vel nemo executor esse vult aut potest. Sententia Christi quod decernit simul etiam faciet. Unde Isa. XXX. dicitur: *Lingua ejus quasi ignis devorans; quia scilicet summa vi*

immittet ignem in damnatos, eosque involvet undique. Eadem ratione dicitur gladius utraque parte acutus, egrediens ex ore Dei, Apoc. I. et penetrans instar fulguris, Deuteron. XXXII. *Si acvero ut fulgur gladium meum*. Primo enim gladius iste bis acutus dividet cælum et terram; cælum enim electis reserabit, terram vero damnatis immenso hiato aperiet mox deglutendis.

Deinde dividet electos a reprobis, illos evehendo ad cælum, hos ad inferos detrudendo. Ut enim arca federis tempore messis transiens Jordanem, eum divisit, ut partes inferiores decurrerent in mare mortuum, superiores vero intumescerent in præaltum montem, Jos. cap. III. sic in messe universalis iudicii Christus ita dividet reprobos ab electis, ut illi quidem repente descendant in infernum, foetidissimum mortis mare, hi vero ad cælos evehantur.

Tertio, dividet damnatos a damnatis, ita ut singuli singulas sedes et pœnas habeant pro ratione meritorum suorum diversas. Erit ergo sententia illa: *Vox Domini intercedentis flammam ignis*. Ps. XXVIII. quia ignem gehennæ ita singulis accendet et applicabit, ut neminem plus vel minus cruciet, quam meruerit unusquisque; quod S. Gregorius lib. IV. dial. exemplo solis pulchre ostendit: *Sicut in hoc mundo, inquit, sub uno sole multi consistunt, nec tamen ejusdem solis ardorem æqualiter sentiunt quia alius plus aestuat, alius minus; ita illic in uno igne non unus modus est incendii, quia quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas peccatorum, ut ignem non dissimilem habeant, et tamen eosdem dissimiliter exurat*. Ab eodem sole magis torrentur et aestuant homines sub uno quam sub altero climate, v. g. qui sub zona torrida, quam qui extra in Germania, Gallia, etc. ita inferorum sedes alii alii inflammatiores sunt.

Quarto, dividet mortem a vita. Qua ratione, inquis? Quamdiu hic vivimus, mors et vita in nobis simul morantur, ut docet S. Augustinus lib. XIII. de civ. Dei cap. IX. X. et XI. quia mors de vita nostra quotidie aliquid abrodit, sicut ignis de candela; unde morientes dicuntur, quos jam incipit mors avidissime depascere et prorsus devorare. Habent ergo miseri solatium in hac vita, quia domi suæ mortem alunt, quæ finem tandem imponet miseriis eorum, cum eos jugulabit. Sed non habebunt tunc solatium hoc damnati, quia mortem, quæ unicuique solatium esse posset, auferet ab eis sententia damnationis. Hadrianus imperator quidam ab eo iniuriam jugulatus, Severianus nomine, moriens imprecatus est, *Ut cum mori cupiet, non possit*. Dicitur, factum; Hadrianus post morbum, sæpius frustra invocata morte, sæpe seipsum occidere voluit. Exstat ejus epistola, in qua ait: *Quam*

miserum est mortem optare et mori non posse! Idem hoc tormentum, non imprecabitur, sed potenti virtute infliget Christus reprobis, ut cum mori cupient, non possint. Quod nunc ut maximum malum equis velisque fugiunt, id tunc avidissime quærent ut vivere in igne desinant: sed irrita erunt vota; fugiet ab illis desiderata mors. Unde Innocentius Papa. lib. de contemptu mundi cap. IX. ait: *Quærent mortem et non invenient*. Apocal. IX. O mors! quam dulcis esses, quibus tam amara fuisti: te solam desideranter optabunt, qui te solam vehementer abhorruerunt. Verum non invenient. *Fit miseris mors sine morte, inquit S. Gregorius lib. IX. moral. c. XLVIII. finis sine fine: quia et mors vivit, et finis semper incipit*. Ergo auditores, ne contingat nobis quærere aliquando, seu optare mortem nullibi invenientem, quæramus nunc, dum vivimus, vitam omnibus prostantem, etc.

CONCIO IV.

QUÆ VITIA MAXIME DEPONENDA, UT VIAM DOMINO PAREMUS.

- I. Valles implendæ: 1º Pusillanimitas. 2º Pigrilla. —
- II. Montes humiliandi: 1º Avaritia. 2º Superbia. —
- III. Prava dirigenda: 1º Injustitia. 2º Vitia carnis, 3º Gula. 4º Libido. —
- IV. Aspera complananda: 1º Iracundia. 2º Vermis conscientie.

THEMA.

Parate viam Domini. Luc. III.

Duo sunt officia concionatoris, docere et movere. Utrumque præstitit Joannes, ut apparet in hodierno Evangelio. Moventis verba sunt illa: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*. Docentis vero illa: *Omnis vallis implebitur, etc.* Vult igitur et præcipit Joannes ut paratur via Domino, et præterea docet quomodo paranda sit. Quatuor autem faciunt, qui viam regi parant: foveas implent, tumores terræ complanant, saxa remouent, et quantum fieri potest, rectam ac compendiosam aperiunt viam per agros et campos. Quatuor ergo hi viarum defectus seu incommoditates sunt, vallium humilitas, collium tumor, semitarum ambages, saxorum asperitas. Omnes hos defectus remouet Joannes, cum ait: *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur; et erunt prava in directa et aspera in vias planas*. Quod si igitur in cordibus nostris emendemus hos errores, utique censebimur viam Domino præparasse. Id vero qua ratione faciendum sit, videbimus.

I. Valles implendæ sunt. Vallis una est pusillanimitas, desperatio, timor, etc. multorum in cordibus ejusmodi sunt valles. Via cæli nimis difficilis, et vita Christiana nimis rigida illis

videtur: quis enim, inquit, salvus fiet, cum tam multæ sint peccandi occasiones et pericula? Tam multa præcepta? Tot requisita ad agenda pœnitentiam? Tantæ difficultates in perferendo? Ecce valles in quibus constituti putant montes præceptorum, consiliorum, pœnitentiæ esse insuperabiles; sed si propius accederent et inciperent ingredi viam montium, viderent eam non difficile superari, paulatim progrediendo. Sic filii Israel cum audissent ab exploratoribus terræ promissæ, urbes grandes in ea esse atque muratas, Numer. XIII. statim desponderunt animum et auxere difficultatem, dicebantque, urbes magnas ibi esse, ad cœlum usque munitas, ut exprobat eis Moyses Deut. I. et idcirco nolebant progredi. Hac techna retinet dæmon plurimos ab incepto virtutis itinere, dum longe difficilior id eis repræsentat, quam revera sit. Similes hi sunt dæmoniaco illi, qui habitabat in monumentis et sepulchris, Marci c. V. Includuntur et obsidentur a dæmone in fovea desperationis, quasi jam actum sit de salute eorum, et ipsi jam in sepulchro æternæ mortis habitent. At vero isti Deum exasperant, ut habemus Psal. LXVII. *Qui educit vinclos in fortitudine; similiter eos qui exasperant, Deum videlicet per suam impœnitentiam et desperationem, qui habitant in sepulchris.* Ergo Christus non solum ligatos vinculis peccatorum, qui cupiunt liberari; sed etiam desperatos, qui contemnunt salutem et sunt quasi mortui, educere potest e vinculis et sepulchris; ut ibi notat S. Augustinus. Implenda est hæc vallis, abjiciendus timor: quis enim non videt quam trita sit facta cœli via? Eam strenue et cum laude confecere publicani et meretrices, fures et latrones, pueri et puellæ, decrepiti et anus? *Tu non poteris, quod isti et istæ?* Ait sibi Aug. I. VIII. confess. cap. XXI. *An vero isti et istæ hoc in semetipsis possunt, et non potius in Domino Deo suo: projice te in eum, noli metuere, non se subtrahet, ut cadas, etc.* Salomonis thronum circumstant multi leones: at thronum Christi circumstant bos et asinus mitissima animalia, et piissima Mater: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur,* ait Apostolus ad Hebræos IV.

Secundo, vallis alia est pigritia, quæ, assueta otio et inertia, descensum tantum amat et quietem, ascensum vero et laborem fugit. In hac valle sunt, qui laborem pœnitentiæ fugiunt, molestiam collectionis, examinis, confessionis, negotiorum suorum interruptiones, etc. Similes nautæ illi Accessæo, qui omnes lunas causabatur infaustas et adversas navigantibus, ideoque cum sua nave semper in statione erat. Sic pigri Christiani nunquam fere commodum tempus reperiunt, quo se ad pœnitentiam disponant;

semper impediti sunt, modo ob frigus, modo ob æstum, modo ob inamicitias, modo ob lites, modo ob itinera, modo ob valetudinem, etc.

II. Montes et colles humiliandi sunt. Mons autem primo est avaritia, et opum accumulatio. Aurum in montibus foditur, et rursus fit mons in corde avari. Vallis est paupertas, utpote depressa, quæ idcirco a divitibus implenda est. Ut enim e montibus defluit imber, et cum eo terræ pinguedo in valles; sic a ditioribus, quod superest illis, defluere debet in pauperes, et ita impletis vallibus fiet æqualitas ut nullus egeat; quod testatur et præcipit Apostolus II. Cor. VIII. *Vestra (o divites) abundantia illorum (pauperum) inopiam suppleat; ut et illorum abundantia (in bonis operibus) vestræ inopie (spiritualis) sit supplementum; ut fiat æqualitas.* Humiliandus ergo hic mons; quia ad pauperem imus et paupertatis doctorem Christum, qui ait: *Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea.*

Secundo, mons quoque est superbia, utpote inflata et super alios intumescens. Quæ sane Christo non potest non displicere, cum per omnia ei dissimilis sit: Christus in humili præsepio, superbus in palatio; Christus in vilibus pannis, superbus in pretiosis vestibus variorum novitatum et vanitatum; Christus inter bovem et asinum, superbus inter splendidum comitatum; Christus in fetore stabuli, superbus in delicatis odoribus, etc. *Quis tu mons magne coram Zorobabel? In planum:* dicebat Angelus Zach. IV. Magni quidem apparent montes, si cum humilibus conferantur collibus; sed si cum cœlo conferantur, nihil sunt, nec aliores deprehenduntur quam ipsæ valles, ut ostendunt astronomi. Sive enim in vallibus sive in altissimis montibus aspiciant sidera, eandem inveniunt cœli altitudinem, quia nimirum tota terra respectu cœli est instar puncti tantum. Similiter ergo coram Deo omnes æquales sumus, et proinde coram eo pariter humiliari debemus. Ita Apoc. cap. IV. viginti quatuor seniores, id est, præstantissimi quique sancti utriusque Testamenti, licet meritis et gloria alter altero major esset, omnes pariter procidebant ante sedentem in throno, mittebant coronas suas ante thronum. Humiliandus est igitur hic mons. Imus enim nunc ad communem mensam, ubi omnes æqualiter pascimur et accumbimus, adeoque conveniunt in unum dives et pauper: et sicut Christus non in montem descendit, sed in stabulum et humillimum præseppe; sic neque ad nos veniet, nisi humiliatos.

III. Prava dirigenda sunt. Prava est injustitia, quæ per infractus usurarum, fraudum, mendaciorum eripit aliis bona, adeoque magnam inæqualitatem facit, offerendo alicui id quod ei debetur, et tribuendo sibi vel alii cui

non debetur. Plurimæ reperiuntur hujusmodi pravitates. Aliqui pecunias mutuo dant, ut cum censu annua etiam emolumenta accipiant, aut servitia et obsequia pro iis postulent: alii ob solutionem dilatam pretium augent: alii ob paratas pecunias et anticipas solutiones juxta vendentibus pretia minuunt: alii, adulteratis mercibus, pecuniis, mensuris, ponderibus, decipiunt. Quæ omnia prava sunt et necessario dirigenda atque ad justam æqualitatem redigenda, si Christum accipere velimus. Etenim sicut S. Benedictus spatharium Totilæ, domini vestibus indutum statim agnovit et dixit: *Depone filii quod geris, nam tuum non est:* sic etiam Deus non recipiet eum qui alienis gaudet bonis. Deut. XXV. dicitur: *Pondus habebis justum et verum, et modius æqualis et verus erit tibi: abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, et aversatur omnem injustitiam.*

Prava etiam sunt vitia carnis, et primo gula et ebrietas; quia hominem capite erecto formatum, incurvant ad terram et mutant in bestiam utpote terrenis tantum pabulis inbiantem, juxta id Psal. CV. *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fennum.* Unde qui ebriosos ambulantes videt, dicere cum cæco evangelico potest: *Video homines ambulantes sicut arbores:* tum quia ut arbores vento, sic illi vertigine agitantur et vacillant, tum quia versus terram os inclinatum gerunt, ut arbores quæ radicem, ex qua vivunt, in terra defixam habent.

Viget hoc vitium inter Christianos his maxime diebus tam sanctis licet; et ipsa Nativitatis Domini nocte maxima cum injuria Christi nati, et ignominia nominis Christiani: quid enim aliud hoc est, quam viam depravare et Domino occudere?

Corrigenda ergo hæc pravitas, tum quia «Non est justum, (ait S. Aug. fer. in dom. II. Adv.) ut in tanta solemnitate in populo Christiano ad unum Dominum pertinente alii inebrientur, alii famis periculo crucientur:» tum quia per se res est indignissima et pecuina.

Secundo luxuria, quæ depravat cor hominis et inflectit ad turpitudinem. Ita de Salomone dicitur III. Reg. XI. *Cum jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres.* Ita de impudicis illis senibus Susannæ insidiantibus ait Daniel c. XIII. *Everterunt sensum suum et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum.* Nullum enim peccatum est, quod sensus et cogitationes hominis adeo evertit, et a Deo ac rebus divinis avertit, atque istud.

Corrigenda est hæc pravitas, quia pergimus ad filium virginis castissimum, hostem juratissimum omnis impudicitia.

IV. Aspera complananda sunt. Asperum au-

tem est cor iracundi et passionati hominis, in quo quidquid dixeris, statim impingit, et iracundiam ejus provocat. Hinc tumultus, clamor, rixæ, vituperia, blasphemias, etc. quantilapides in via? Grave est tali via ambulare, et cum talibus conversari. Audi sapientem Prov. XXVII. *Grave est saxum, ait, et onerosa arena, sed ira stulti utroque gravior.* Gravius adhuc et asperius saxum est odium, quod non sine difficultate de corde amovetur. Frustra autem expectant Christum, qui hæc saxa non amoliuntur; quia ipse mitis est et humilis corde.

Læviganda igitur hæc asperitas, si ad Christum venire velimus. Sic enim serpens ad fontem iturus deponit venenum, teste August. ad Julian. comitem de perfecta justitia. Idem S. August. ser. in domin. I. Advent. ait: «Quotiescumque Natalem Domini aut reliquas solemnitates celebrare disponitis, ebrietatem ante omnia fugite, iracundiæ quasi bestia crudelissima repugnat, odium velut venenum mortiferum de corde vestro repellite.» Hinc Christiani ante communionem sibi mutuo olim pacis osculum dabant teste Chrysostomo in epist. I. ad Cor. c. XIII. Damascenus I. I. paralel. c. XI. ait: «Cum tu infestum in conservum odium refinæas, quonam tandem pacto ad pacis mensam accedere audes?» Hæc enim mensa nobis parata est, ut sit communio et unio Christianorum inter se et cum Christo. Ergo animo diviso accedere ad Sacramentum unionis, est una ex parte vulnus curare, ex altera refricare.

Quidquid denique pungit et exasperat conscientiam, amovendum est; sic enim decet ut Christo præparemus lectum blandum et delicatum. Satis ei sit in fœno semel jacuisse et præsepio, quare non tantum non super scopulos et saxa, id est, mortalia peccata, sed nec super stipulas et fœnum, id est, venialia reclinandus est Christus in præsepio cordis nostri; ut ita demum cum intraturus est Rex cœli in mundum, viam habeat planam et rectam.

CONCIO V.

QUALIS DEBEAT ESSE CONTRITIO.

1. Dolor seu detestatio sit: 1^o Supernaturalis. 2^o Seri-
rius. 3^o Universalis. 4^o Prior confessione. — 41
Propositum emendationis sit: 1^o Firmum. 2^o Per-
petuum. 3^o Universale. 4^o Efficax.

THEMA.

Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.

Luc. III.

Ut via bene præparetur, duo videntur esse necessaria. Primum ut lutum et sordes ac cætera impedimenta removeantur: alterum, ut ipsa via lapidibus sternatur. Nam via debet esse munda, et durabilis. Primum si desit, non